



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 120. Responsio Legatorum Franciæ ad orationem Pontificis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

conditionem mutasset, mutavit & sententiam, nec ultra egit privatum ac simplicem Basileensis Concilii Secretarium; unde, ni fallor, ubi Pragmaticæ Sanctionis mentionem fecerat, in oratione sua affirmavit, se non amplius Francorum gentem iis Apostoli verbis alloqui posse: *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo, quamdiu illi sanctionis hujus maculam seu rugam non deponerent.* Tandem de modo, quo ejusmodi lex introducta fuerat, differit his verbis: quomodo introducta sit, ipsi nescitis: certe non auctoritate generalis Synodi, nec decreto Romanorum Pontificum recepta est: Verum quo animo hæc Pontificis oratio in Galliis excepta fuerit, mox edocebimus.

Sæcul. XV.
A.C. 1459.

2. ad Cor. II. v. 2.

§. CXX.

Responsio Legatorum Franciæ ad Orationem Pontificis.

Respondent Pontifici Francorum Legati, haud eorum obliti, quæ de Pragmatica Sanctione Papa differuit. *Arguitur, inquit illi, ipse Dominus noster Rex, quod Pragmaticam Sanctionem in suo regno sustinet, quæ privilegiis Sedis Apostolicæ derogare prætenditur: atque exinde regnum ipsum rugam, atque maculam contraxisse allegatur. In qua re pro defendendis*

Sæcul. XV. A.C. 1459. *dis ipsius Regis, & regni innocentia, honore, & fama, ut tenemur, aliqua explicare duximus. Itaque præsentata olim fuerunt decreta Concilii generalis Basileensis Christianissimo nostro Regi, præsentibus quam pluribus Principibus, & proceribus regni sui, ipse habita consultatione Archiepiscoporum, & Episcoporum, atque universitatum, aliorumque peritorum informatus est, quomodo hæc edita erant auctoritate præfati Concilii, quod ex institutione duorum Romanorum Pontificum Martini V. & Eugenii IV. ad reformationem Ecclesie in capite, & in membris fuerat convocatum. Intellexit præterea hæc decreta sacris Canonibus antiquorum Conciliorum, ac decretis summorum Pontificum confirmari. Propter quæ Rex eadem decreta cum aliquibus additionibus, quæ Sedi Apostolicæ nequam derogare videbantur, acceptare duxit.*

Cum vero iidem Legati summo Pontifici exposuissent, auxilia contra Turcas a Rege suo in vanum expectari, nisi prius pax Galliam inter & Angliam restitueretur, Pius Papa diffidentes conciliare conatus est. Jam dudum equidem de tollenda inter utrumque Regem discordia agebatur: ast totius controversiæ summa hærebat circa locum, ubi pacis colloquia haberentur, cum Rex Angliæ non minus pertinaciter ac olim locum Caleto vicinum postularet: Rex autem

tem Franciæ jam in primo pacis articulo Sæcul. XV.
 ab Angliæ Regis arbitrio dependere re- A.C. 1450.
 nueret. Pontifex, ut hanc quoque mo-
 ram & obicem removeret, utrumque
 Regem instanter hortatur, ut vel Aven-
 nionensem, Metensem vel Coloniensem
 urbes aut quascunque alias extra eorum
 imperia sitas eligeret, quæ ad suorum
 Legatorum congressum proximo S. Jo-
 annis Festo celebrandum opportunæ fo-
 rent. Verum res Mantuæ haud decidi
 poterat, Gallorum Legatis hac super re
 mandati defectum caussantibus. Quare
 Pontifex Legatum apostolicum in Fran-
 ciam, & alterum in Angliam, qui hos
 Reges ad alterutram harum urbium ele-
 ctionem inducerent, decernere compelle-
 batur.

§. CXXI.

*Papa a Clero Gallicano decimarum
repulsam passus.*

Ceterum cum Pontifex satis manifeste
 intelligeret, a Galliarum Rege red-
 dita nondum cum Anglis pace, copia-
 rum suppetias adversum Turcas haud
 sperandas esse, rem urgere destitit, pro-
 posuit tamen, ut sibi a Clero Gallicano
 ad sustinendas belli Turcici expensas
 decimam exigere liceret. Cui Legati
 respondent, *vidimus, & iterato perlegi-*
mus